



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

Rosarium Deiparæ, & ejus nomine, Auctore, prædicandi ratione, ac  
multiplici utilitate, n. 4

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46853)

S. Mamerto Vicensi Episcopo

Mamerto Viennensi Episcopo restituta, & ab Ecclesia vniuersali comprobata. Testes Litanie, quas beata Coletta Monialium sancte Claræ reformatrix eximia, vt est apud Surium in eius vita, cap. 26. & 27. cum siue in itinere, siue etiam in Monasterio à facinorosis hominibus aliquid mali metueret, ad suam tuorumque incolumitatem, ac salutem non sine fructu recitandas, suis edicebat. Quæ cum ita sint ex Litanis Deiparæ, cuius preces, vt cap. 30. dicebamus, præ cæteris Sanctis apud Christum sunt efficacissimæ, quantum opis, quantumque præsidij sperare possumus, ac debemus? Quocirca sanctus Bonaventura doctrina, ac pierate insignis, qua Idam Virginis Deiparæ Litanias ex varijs eisdem epithetis, atque elogijs concinnatas edidit, quæ quidem in 2. tomò opusculorum impressæ reperjuntur.

S. Bonaventura

KOSARIVM DEIPARÆ, ET DE EIVS nomine, Auctore, precandi ratione, ac multiplici utilitate.

De Rosario B. Virginis

QVINTO, Rosarium, seu Psalterium Deiparæ, quod ternis salutationis Angelicæ quinquagenis continetur, Oratione Dominica ad singulas decadas præmissa, S. Dominicus ad extinguendam Albigensum hæresim, Deiparæ monitu feliciter instituisse scribitur, vt mox dicemus; quæ orandi formula maximo animarum fructu propagata tot, tantisque miraculis illustratur, vt nonnulla de eius Nomine, Institutione, Recitandi ratione, utilitate mihi dicenda existimari, adjectis nonnullis hæc de re exemplis, ac miraculis.

Cur hæc precandi ratio sit à rosis nuncupata. Virgil. 4. Georg.

Et vt nomine exordiamur, Rosarium locus est Rosis constitus, quemadmodum latinus Poëta dixit:

Biferisq; Rosaria Psali.

Ex hac verò metaphorica similitudine Rosarium appellamus precandi quandam formulam mytticis contextam Rosis, hoc est Oratione Dominica, & salutatione Angelica ad certum numerum, & ordinem dispositis.

Nec cuiquam mirum videri debet, si ex Rosis potius, quam ex alijs floribus sortum hoc, seu Coronam, qua Deiparam mytticè redimere studemus, contextam dicamus, ideoque Rosarium appellemus; tum quia Rosa omni-

bus cotonis facile aptatur, vt propterea Anacreon, teste Iulio Polluce lib. 6. si pavri gofaly dixerit, hæc est Coronam Roseam: tum etiam, quia Rosa suavitate, & fragrantia, & coloris pulchritudine merito diuinæ laudis typus appellari potest; qua laude Deus, Deiparæque summopere delectantur. Quare Ecclesiastici 39. Spiritus sanctus cum sanctos viros ad Dei laudem lacrymarum vi roboratam excitaret, Rosæ metaphora ad aquas posita eam exprimit: Obaud te, inquit, diuini fructus, & quasi Rosa plantata super riuos aquarum fructificante. & mox: Collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus eius. Hinc factum existimo; vt in compluribus miraculis, quæ recitantibus Rosarum, siue Coronam, siue Corollam Deiparæ ostendere dignata est, quæque infra referemus, crebro sub Rosarum typo salutationes Angelicæ significantur.

Neque nouum est precandi rationem ex his laudum orationibus, quasi varijs floribus constatam, sortum, seu Coronam dici, cum Græci coronam laudum appellent, & Nazianzenus Tragedia Christi patiens de Corona Deiparæ mytticis precationum flosculis constate cesinisse videatur, cum Deiparam sic alloquitur.

Ego fructus hic tibi me audientius, in verba supplex offeram, & suauissimo contextam ab hortis, qua tuū exornum caput, Coronam ô Domina præferâ, vt qua gratia.

Eadem precandi ratio non tantum Rosarium verum etiam PSALTERIUM dici solet, quod instar numeri Psalmorum in Dauidico Psalterio centies quinquagies saluatio Angelica repetitur; quare quindecim decades, quæ totidem Christi, ac Deiparæ mytticis respondent, conficiuntur, & ad tres quinquagenas reuocantur, iuxta triplicem mytticorum, quæ Gaudiosa, Dolorosa, & Gloriosa dicuntur, varietatem.

Sed iam ad Rosarij Auctorem, & institutorem veniamus, quem S. Dominicum Ordinis Prædicatorum Fundatorem fuisse testantur in suis Bullis Leo X. Pius V. & Gregorius XIII. idque fusè tradit Ferdinandus Castilia in 1. par. Chron. S. Domin. lib. 1. c. 11. 34. 35. & 44. & alij, qui hæc de re scribunt.

Illud tamen minime reticendum Polidorum Virgilium lib. 5. de inuentione rerum cap. 9. referre Petrum Eremitam, qui annum Domini circiter 1093. de bello sacro indicendo

ratio à Pa-  
tro Eremi-  
ta prius in-  
uenita. Po-  
lydorus Vir-  
gilius.

Ioannes de  
Pineda.  
Arnoldus.  
Vincen.  
Alia simi-  
lis ab Ab-  
bate Pass-  
sa Palladi-  
Historia  
Tripartita.

endo cum Urbanoll. egit, & Christianos omnes ad illud suscipiendum vehementer exhortatus est, cum nondum inuenta esset ars impressoria, & difficultas foret libros precum manu scriptos habendi, ad faciliorem orandi rationem, inuenisse modum, Deum, beatissimamque Virginem per lapillos, seu globulos precandi, quod etiam testatur Ioannes de Pineda Ord. Min. lib. 20. Monarch. Eccles. cap. 2. §. 4. & Arnoldus Vuion lib. 5. ligni vitæ c. 104.

Quod si aliis id reperamus, inueniemus apud Palladium in Lausiaca cap. 2. Abbatem Paulum 300. orationes, quas faciebat, calculis in sinu numerasse; quod etiam legimus in historia Tripartita lib. 8 cap. 1. Hoc ipsum per cordulam nodis distinctam ab alijs factitatum legimus. Ceterum quicquid sit de institutione modi iterandi salutationem Angelicam per globulos: certe peculiaris hæc orandi formula, quæ Rosarium sive Psalterium appellant, certo ac constituto numero, quo oratio Dominica quindecies, & saluatio Angelica instar Dauidici Psalterij centies, & quinquagies repetitur, à S. Dominico in eolyto Ordinis Prædicatorum Patriarcha, contra Albigenses Hæreticos instituta est, atque in tres salutationum Angelicarum quinquagenas tributa; in qua ad excitandum erga Christum, eiusque Genitricem pietatem, quindecim sacra eorundem mysteria meditanda proponuntur.

6. Ratio porro Rosarij recitandi ea est, ut cum quindecim sint mysteria, quæ animo recolenda in eo præscribuntur; in ipsorum singulis Oratio Dominica semel, decies verò Angelica saluatio sit pronuntianda. Ac primis quidem quinque mysterij totidem B. Virginis Gaudia proponuntur, quæ vulgò propterea Gaudiosa dicuntur. Quorum primum illud est, cum fuit à Gabriele Archangelo salutata, cumque est ei Christi incarnatio nunciata. Alterum sequitur, quando eadem adiit S. Elisabetham. Tertium cum filium suum peperit Dominum nostrum Iesum Christum. Quartum cum eundem obtulit in Templo. Quintum denique cum eum reperit inter Doctores in Templo audientem illos, & interrogantem.

Alia quinque mysteria, quæ Dolorosa dicuntur, quinque itidem præcipuos dolores complectuntur. Primus dolor est, cum Do-

minus oratis prolixius in horto Getsemani factus in agonia sudauit sanguine, decurrentibus sanguinis guttis in terris. Alter quando diuis flagellis cæsus est ad columnam. Tertius cum spinis est coronatus. Quartus, quando crucem gestans Matrem habuit obuiam. Quintus demum, quando cruci affixus inter latrones duos Patri spiritum tradidit.

Postrema Gloriosa dicuntur, Primum quidem, quando idem Dominus noster ad vitam redijt immortalis. Alterum, quando in cœlum gloriosus ascendit. Tertium, quando Spiritum sanctum discipulis misit. Quartum, cum beata Virgo primum anima, deinde post tri-duum recepto corpore in cœlum est assumpta. Postremum, quando est à filio coronata, & super Angelorum beatorum omnium ceteros erecta: hic etiam consideranda est ipsius beatissimæ Trinitatis, & omnium Sanctorum gloria.

Verum ut est in regulis sodalitatæ Rosarij, quas refert Albertus Castellanus Venerus in pijsim: illo Rosarij libro, quem Italico sermone conscripsit anno Domini 1; 2; 1, etsi quicumque in Rosarij societatem ascriptus debet integrum Psalterium centum quinquaginta salutationum Angelicarum semel in hebdomada recitare: ad faciliorem tamen ejus recitandi rationem in tres æquales partes distribuere licet; ita ut uno die quinque primis mysterijs meditandis quinquies oratio Dominica pronuncietur quinquagies saluatio Angelicæ eademque ratio altera die, ac tertio in alijs item mysterijs teneatur. Quod si quis per obliuionem, siue etiam per negligentiam, aut Rosarium totum, aut ejus aliquam partem omiserit, nullam propterea culpam contrahet, sed præmio dumtaxat illo carebit, quod esset adeptus si non omisisset. Verum tamen quotiescumque ejus recitandi consuetudinem resumere libuerit, rursus ejus præmia, fructusque consequetur. Porro, qui aduersa valetudine, aut alia legitima causa præpeditus, Rosarium explete non queat, modò sit in ejusdem Societatem ascriptus, poterit alteri suo illud nomine tradere persoluendum, eique plurimum proderit. Sciendum præterea magno cum fructu applicari posse ijs, qui vitam sancti sunt, & in Purgatorio degunt: præsertim si eorum nomina in librum sodalitatæ sint relat. hæc, aliaque multa in regulis illis sodalitatæ Rosarij.

Ad quid teneantur qui in Rosarij sodalitatem sunt ascripti. Albertus Castellanus



*Thomas Cantipratensis.*  
 Celebrem autem fuisse hanc Rosarij recitationem aetate S. Dominici eius institutoris complura miracula confirmant, quæ Thomas Cantipratensis Ordinis Prædicatorum, qui eodem seculo cum S. Dominico vixit, in libro apum connumerat, & nos mox referemus.

*Alanus à Rupe Britannicæ Ordinis Prædicatorum Rosarij pto salemjussu Deipara instaurat Albertus Castellanus.*  
 Verùm tempore procedente hujus facti Rosarij instaurator fuit Alanus à Rupe Britannicæ Ordinis Prædicatorum, cui annum Domini circiter 1469. Virginem Deiparam apparuisse, immusque Rosarium prædicandi demandasse, refert Albertus Castellanus Venetus lococitato, idemque affirmat Leander Albertus. Et sanè Alanus Virginis imperium strenuè est executus: ejus etiam hortatu Franciscus, & Margarita Duces Britannicæ Indulgentias Rosarium recitantibus à Sixto IV. Pontifice impetrarunt, auctore Alfonso Ciaccone Ordinis Prædicatorum in sua Bibliotheca fuit etiam alius Alanus Rupensis Germanus ex Dominicana pariter familia, qui apud Colonienfes multas Rosarii Societates instituit, confirmationemque à se de Apostolica impetrauit, eius argumenti edito libro, qui quidem, ut dicitur, temporum iniuria periit, mortitur autem anno 144. teste Sixto Senensi in Bibliotheca sancta lib. 4. sequenti verò anno introentibus in Colonienfes bellis, maiori terrore ad Deiparam per Rosarium confugerunt: nam Leo X. Pontifex Maximus in quodam amplissimo diplomate anno 1529. Rosarii Confraternitatem, ritumque seu modum per Rosarium orandi ante approbatum, rursus approbat, & confirmat, plurimasque indulgentias, ac facultates eidem largitur: initio verò eius diplomatis, qua occasione Coloniz huius Rosarii devotio restituta fuerit, commemorati eius diplomatis partem ad verbum in præsentia recensendam dixi, quod multa ex iis, quæ de Rosario disserimus breviter complectatur, diplomatis verba hæc sunt.

*Diploma confirmacione Rosarij.*  
 Sanè pro parte dilectorum filiorum Priorum, & Fratrum domus Prædicatorum Colonienfium, nuper exhibita petito continebat, quod olim, prout in historiis legitur à S. Dominico, quædam Confraternitas utriusque sexus fidelium, de Rosario eiusdem beatæ Mariæ Virginis nuncupata, ad honorem Angelicæ salutationis instituta, & in diversis mundi partibus prædicata fuit, & frequenter signis: sed cum ipsa Confraternitas decursu

temporis, serè neglecta fuisset, & in oblivionem transisset, ac anno 1477. Civitas, & Diocesis Colonienfis grauibus bellis præmeretur, eadem Confraternitas ad laudem, & honorem præfatæ Virginis, ut Civitas, & Diocesis prædicta meritis, & intercessionibus eiusdem Virginis ab eis bellis liberaretur, in Ecclesia dictæ domus invocata, & de nouo instituta fuit, cum certo modo orandi, videlicet quod Confratres, & sorores eiusdem Confraternitatis tribus diebus cujuslibet hebdomadæ ad honorem Dei, & præfatæ Virginis, ac contra imminentiæ mundi pericula legerent conjunctim, vel diuisim toties Angelicam salutationem: quot sunt Psalmi in Psalterio Davidico, singulis decem salutationibus huiusmodi orationem Dominicæ semel præponendo, ut modum orandi huiusmodi Psalterium, siue Rosarium eiusdem B. Virginis vulgariter appellatum. Quam quidem Confraternitatem in dicta Ecclesia de nouo institutam, postmodum bonæ memoriæ Alexander Episcopus Foroliuensis, tunc Apostolicæ sedis cum potestate Legati de latere per totam Germaniam Nuncijs singulari deuotione permoctus, & se in eadem Confraternitate recipi, atque conscribi volens, & petens ad preces claræ memoriæ Federici III. Romani Imperatoris auctoritate Apostolica approbauit, confirmauit, & ratificauit. hæc ibi.

In eodem diplomate Leo Pontifex solius persequitur indulgentias ab Alexandro Episcopo Foroliuensi Nuncio Apostolico anno 1576 & deinde à Sixto IV. anno 1479. & ab Innocentio VIII. anno 1483. concessas, quas iterum approbat Qui verò Leonem subsecuti sunt Pontifices, certatim hanc sodalitatem eiusque sodales spiritu alibus gratijs, ac priuilegijs sunt prosecuti, ut videre est in Rosarij diplomatis apud Iosephum Stephanum Valentinum in libro eruditè, ac pie ab eo, anno 1564. edito, cuius inscriptio est: *Sacri Rosarij Virginis Mariæ ab hæreticorum calumnijs defensio*, & in libro Rosarij Italico ab Alberto Castellano Veneto pie contento.

3 Quod si animum aduertamus ad eam, quæ ex Rosarij recitatione ab ijs præsertim, qui eiusdem sodalitati ipsa nomina ritè dederunt percipiunt, spiritualem utilitatem, ea certè multiplex recensetur. Prima est consecutio indulgentiarum, quas plurimas Rosarij recitantibus summi

Frædico Colonus

Miscellanea de Psalterio & Rosario B. Virg. Nazarr in Manuali

Exemplum ac miracula Rosarij à S. Dominico promulgata Etiam duo Castella

summi Pontifices concesserunt, præsertim Vrbis stationes, quas sodales Rosarij consequuntur, si ea die quinque templi aitaria visitaerint, & in singulis quinque orationem Dominicam, ac salutationem Angelicam recitarint. Secunda, meritum participatio inter Confratres eiusdem sodalitatæ Rosarij amplissimæ per vniuersum Orbem diffusa, quidem Confratres cum vtriusque sexus, & plurimi sint, plurima etiam erit meritum inter eos communicatio. Tertio, præcipuorum vitæ Christi, & B. Virginis mysteriorum ea occasione commemoratio, quæ plurimum suauitatis, & utilitatis animæ ea recogitant afferunt. Denique præstantissimarum, & dulcissimarum precationum, Orationis nimirum Dominicæ, & salutationis Angelicæ iterata repetitio. Quare ad Rosarij salutem vnam quinquagena quotidiè deuotè recitanda, ne huiusmodi vtilitatis, ac fructus finis expertes, omnes Vrginis deuoti animum adijcere deberemus. Quoniam verò nonnulli hæreticorum more suo contra eiusdemodi pietatis officia, quibus Deum, & eiusque Genitricem piè veneramur, & præsertim contra Rosarium oblatrare sunt ausi; idcirco noster Franciscus Costerus non minus piè quam eruditè eorum insaniam pluribus refellit, in opusculo hac de re edito; quem qui volet, consulat.

Ne tacitus præteribo Miscellanea centum de oratione, præsertim de Psalterio, & Rosario B. Virginis, quæ doctissimus Nauarrus ad Manuale de Oratione, & horis Canonicis adiecit, in quibus quamplurima dubitè circa Rosarium scitu digna pertractat.

EXEMPLA, SEV MIRACVLA IN IIS, qui Rosarium recitant Despara ope peracta.

AD extremum exempla pauca de plurimis afferenda sunt, quibus Rosarij recitationem Deiparæ gratam esse planè intelligamus; tanta enim miraculorum multitudine, atque præstantia Deipara hanc Rosarij pietatem sibi cordi esse declarabit, ut magno animarum emolumento vniuersum orbem sit peruagata, & innúmerabiles vtriusque sexus, omnium ordinum tum religiosi, tum seculares sodalitati Rosarij nomen dederint. Sed vt ad particularia veniamus S. Dominicus, teste Ferdinando Castiglio in Chron.

Ordin. Prædicat. par. 2. lib. 1. cap. 21. & 34. hac Rosarij precatione, quam in Gallia Deipara monitu inchoauit, & Romæ mirificè propagauit, magnam hominum multitudinem ad Dei obsequium perduxit, multa miracula expertus est Tolosæ in bello contra Albigenses hæreticos; complures etiam insignes peccatores profligatissimæ vitæ, & seclerum cæco, ad pietatem traduxit in Gallia, Romæ, & Cæsar augustæ; quorum conuersiones copiosè persequitur idem Ferdinandus cap. 34. 35. & 43. Eiusdem etiam Rosarij pietatem S. Dominici consilio Bianca Gallix Regina sterilibus complexa S. Ludouicum filium suscepit; quæmadmodum cap. 36. dixi.

Eques quidam nomine Alanus à Valle Colata in Britannia prope urbem nomine Diracium S. Dominici consilio Deiparæ Rosarium quotidie flexis genibus recitabat, is sub Comite Simone Montefortio contra Albigenses hæreticos in Tolosana regione milimilitabat; cumque aliquando paucis militibus circumdatus, absque spe euadendi virgeretur, mira est ab eo Deipara, centum quinquaginta lapides, quorum numerus salutationibus angelicis Rosarij respondet, in hostes iacere, maxima cum eorum strage, sicque victor euasit. Idem quoque Alanus aliquando Ierolimam nauigans, qua uehebatur nauis, tempestatis vi effracta, cum in magno discrimine veraretur; confestim in ipso mari centum quinquaginta montes parui visi sunt, per quos incolumis in continentem euasit, in patriam postea reuersus, constructo ibi cœnobio Ordinis Prædicatorum, in eum superstrate S. Dominico est ingressus, factus deinde insignis concionator, per vniuersam Galliam Rosarij pietatem magno cum auditorum fructu prædicauit; tandem ex hac vita in cœlum migravit, sepultusque est in cœnobio Aurelianensi ad altare Deiparæ, cuius os, & manus recitandi Rosarij instrumenta post obitum veluti chry stallus collucebant hæc ex Alberto Castellanico Veneto in miraculis Rosarij, & ex Ferdinando Castiglia parte prima Chron. S. Dominici lib. 1. cap. 34.

Iuuenis quidam in Germania clarus genere, & si corporis castitatem seruaret, hæc reditatem tamen suam in tessetarium ludo, ac tabernis omnem prodegerat, quare miserè vagabaturis patrii consilio integro anno

Rosarium recitare consuevit Alanus ab inimicorum obsecratione à Deipara liberatus

Idè à nixi fragio, per Deiparam incolumis mirificè euadit.

Eiusdem manus ac os post obitum collucebant vitæ; Albertus Castellanico in miraculis Rosarij.

Ferdinãd: Castiglia: Rosarij præcel à quodam oblatas in suis vestibus quotè

Franciscus Costerus.

Miscellanea de Psalterio & Rosario B. Virg. ex Nauarro in Manuali.

Exempla, ac miracula Rosarij à S. Dominico promulgata. Ferdinãdus Castiglia.